



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 4. Mulieri per Prophetam prospectum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

mūmq; suum quodammodo diuiserunt, aut
toti negotijs imersi seculo seruiunt. Quan-
quam bonus Deus magis hos etiam ipsos
curat, quàm ipsi Deum.

§. III.

Obsessa ciuitatis insperatum auxilium.

Nec enim desunt exempla. Quàm insperatò
succurrit vsque ad desperationem obsessæ
ciuitati? *Factaq; est fames magna in Samaria:
& tamdiu obsessa est, donec venundaretur ca-
put asini octoginta argenteis, & quarta pars
cabi stercoreis columbarum quinque argenteis.*

4. Reg. 6.
25.

Si fames hæc non satis magna, considera à
matre filium coctum; considera verba ducis,
Elifæo magnam rerum omnium abundan-
tiam in sequentem diem promittente, di-
centis: *Si Dominus fecerit etiam cataractas, in
cælo, nunquid poterit esse, quod loqueris?* Et
tamen, totis repente Syriorum castris exter-
ritis, fugienteq; & rege & exercitu, quanta
omnium cibariorum copia in prædam reli-
cta est? Vnus dies totam sustulit calamita-
tem; nec citiùs sol noctem pepulit, quàm
abundantia penuriam; & inopia rerum o-
mnium, in omnium rerum copiã est com-
mutata.

4. Reg.
7.2.

§. IV.

Mulieri per Prophetam prospectum.

Neque

4 Reg.
8.1.

Neque toti tantum ciuitati prouisum est, sed etiam exiguae mulieri, ad quam Elias dixit: *Surge, vade tu & domus tua, & peregrinare ubicunque repereris: vocauit enim Dominus famem, & veniet super terram, septem annis. Quae surrexit, & fecit iuxta praeceptum hominis Dei: & vadens cum domo sua peregrinata est, in terra Philistym diebus multis.* Curauit utique haec mulier familiam, sed vna etiam à caelo curata est, per Prophetam, dum missa est, fame dominante, vbi aleretur. Quod quidem apertis verbis Propheta huic mulierculae antè dixit. Quàm plurimis, non quidem per sermonem hominis, sed per Angeli suggestionē, indicat Deus, ut locum mutent, & migrent aliò, vbi eos vult sustentare; qui si ibi manerent, vnde, tacita cogitatione suadente, abeunt, fame essent perituri.

§. V

Apostolis à Christo pisces prouisi

Luc. 5, 5.

Ipsi Apostoli, cum labore manuum suarum victum quærerent, cum retia in vndas jactarent & piscarentur, nonne à Domino aduti sunt? Ad Simonem ait: *Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam.* Et respondens Simon dixit illi: *Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus: in verbo autem*